

The image shows the front cover of an antique book. The cover is bound in a dark green, textured cloth spine and corners. The main part of the cover is decorated with marbled paper featuring a pattern of dark green, blue, and red veins. The spine is plain dark green cloth with four horizontal gold lines. The title and number are printed in gold on the spine.

Politikai  
röpiratok.

221

✓  
OBSERVATIONES

SUPER

LEGIS

RELIGIONARIÆ

PARAGRAPHO 13.

---

7

---

1 7 9 1.

OBSERVATIONES

DE

LEGIS

DE BELLICIS

PARAGRAPHIS

Quæ caput e cœli Regionibus ostendit  
horribili super aspectu mortalibus instans.

Lucretius de Superstitione

## P r æ f a t i o.

**L**ibertas mentis & typi apud gentes liberas anchora, apud servas aurora, erroribus flagellum, bonis Principibus lumen & securitas est.

Veritas, quæ ex Sanctuario rationis, isto lydio legum & Constitutionum lapide exit, semper se ad pedes Leopoldi libere proster-  
net, probe scientis: ad thronum sæpe hominibus, qui eodem instanti affirmant & negant, circumdatum, illam aliunde sincerius, meliusque

deportari non posse, quam  
a libertate typi: clamor nam-  
que & vota nationis, moderatio:  
scripta publica, consilium bonorum  
Regum sunt.

Jure vel injuria has observa-  
tiones ediderim? Decidat Rex &  
Regnum, obediam: A privatis au-  
tem authoritate vel schola damna-  
tus, respondebo: Convictus ratio-  
ne, sententiam mutabo: Maledi-  
centia aut factione impetitus, patiar,  
tacebo, favebo.

*Author, nuncius ad  
Dietam.*

§-us 13.

## Articuli Religionarii.

**Q**uum transitus a C. Religione ad alterutram ex Evangelicis in sensu pacificationum receptis C. Religionis Principiis adversetur, ne is temere fiat, occurrentes ejusmodi casus ad S. R. Majestatem referendi venient; — Injungatur præterea sub severa pœna, ne quiscunque demum ullum Catholicum ad amplectendam Religionis Evangelicæ professionem, quocunque præsummat allicere medio.

*Observatio. I.*

**R**ecepta R. Catholicæ Religionis Principia dimittendarum aut amplectendarum opinionum hominibus legem, aut dimittendis vel amplectendis iisdem moram apud Hungaros male ponent. Evangelium, non Roma est Fons Principiorum. — *Papæ Imperatores & Reges sunt subditi. Papa Juramento & fide solvit Imperatorum & Regum subditos. Papa dijudicat, & annihilat sententias Regum. Papa excommunicat Reges & tribuit facultatem subditis, sibi in locum excommunicati alium eligendi.* Ista erant certe, & adhuc sunt Principia, inter plura bona, & mala, ad Romanam Religionem spectantia. Vide Lauream in Epitome Canonum. „ Evangelium autem dicit: *DEUM non esse ac-*  
cep-

ceptorem Personarum, sed in omni gente, qui timet DEUM, & operatur Justitiam, acceptum esse illi. Act. X-mo. Sententia priscis inaudita sæculis, per Gregorium VII. inducta, Romanæ Religionis principia auxit: Reges quoad temporanea Papæ subesse puniri que posse. Evangelium autem docet: Corda Regum in manu Domini esse, solique DEO Regum peccantium Judicia relicta haberi. Vide Dupinum, & Petrum de Marca de Concordia Imperii & Sacerdotii. L. 2-do Cap. XVI. Ergo multa Romanæ Religionis Principia vetari debent; ergo timendo DEUM, etiamsi rude donaverimus Principia R. Catholica, tamen ipsi placere possumus; Ergo male Regibus, male Hungaris consultum, si ductu Principiorum Romanorum leges Ungaricas condiderint.

### *O b s e r v a t i o. II.*

Si quidquid adversum est Principiis Romano Catholicis, hæresis est, tunc, tran-

seuntes ab ipsis ad Evangelicos, & transitum, hunc, dum prohibere possunt, indulgentes, æque hæretici erunt; quia complices. — Videtur tantum occasio expectari, ut Papa iterum tales declarare audeat: — Ignis suppositus cineri doloso! — iste flos artis sacerdotalis, versatilis ista lex, cujus dubius textus mille pestibus scatet, num Regi magis an subditis noxius & formidandus sit? nescio.

### *O b s e r v a t i o. III.*

Principiis Religionis Romanæ adversum quod est, orante Romano Sacerdotio per legem impeditur. — Ne sponte fiat: Principiis legis rationis, quæ tam antiqua est, sicut ipsum tempus, & contra quam nunquam præscribi potest, Principiis item Juris hominis, Principiis societatum humanarum, quod adversum est, ne committatur, orante ipsa natura, ipsaque humanitate inclamante, nihil defertur. Mystra Romanus dicit:

dicit: Compellam te intrare — humiliabo intellectum tuum in obsequium fidei — mens & ratio tua Laice sunt meum monopolium. Natura dicit: ratio & libertas mentis est summa & inalienabilis Proprietas hominis, & fundamentum unionis, qua in societatem homines coaluerunt. — O Tempora! O Leges!

*O b s e r v a t i o. IV.*

Opinio est facultas mentis & rationis: sine hac facultate mens erit tantum qualitas passiva machinalis hominis; Opinionem autem sequi est jus hominis rationalis, sine quo ad instinctum redigitur. Dicere, quod opinio sit error, est verum dictum; sed ille idem, qui hoc dixit, opinatus est, & erravit; restant enim adhuc Principia rationis, quæ DEUS ipse falsa reddere nequit, ad quæ opinio examinari potest: dicere autem, quod opinio sit error, & quod opinionem licet erroneam ad mandatum Mystrarum

æque errantium non deponere, peccatum fit; istud est complementum dementiæ, & destructiva hominis degradatio.

### *O b s e r v a t i o. V.*

In sensu pacificationum receptis Catholicæ Religionis Principiis transitum ad Evangelicos adversari lex dicit. Sensus hujus textus Romano prorsus verborum implexu adeo impeditus est, ut Cardinalem amphibologiam sapiat: Quia 1-mo Ly Receptis, referri non posse videtur ad Catholicæ R. Religionis Principia: Etenim si R. Catholica Religio, qua existens jam religio, recepit serius Principia, tunc existere ante receptionem debuisset absque principiis: Si autem fundata fuit illico in suis Principiis ab origine, tunc ly receptis ipsi est injuriosum. 2-do Si Ly receptis refertur ad id: quod in sensu pacificationum Principia contractualia R. Catholicæ Religionis accordata sint, & per eandem recepta, ut scilicet neminem

e sui

e sui gremio ad Evangelica Sacra dimittat; hoc perlectæ pacificationes clare legentibus ostendent, esse mendacium. 3-tio Si Ly receptis ita intelligendum est? quod R. Catholica Religio præter principia, in quibus fundata est, receperit plura principia accessoria, quæ sive jura Ecclesiæ, sive cultum, aut cætera Sacra tangunt, de illis natio Potestasque legislatoria scire deberet: Nam sine nationis assensu omnia id genus Principia desinerent in fraudem, præjudicium, & perniciem publicam: Id ergo fieri non potuit, nec licuit, & DEUS avertat a Rege & Regno, ut hodie liceat. 4-to Si Ly receptis ita intelligendum est, quod in sensu pacificationum: Id est quod ex contractu, Domini Evangelici principia R. Catholicæ religionis, transitum a Romana ad ipsorum religionem inhibenta pro norma & lege semet habituros pactando, conditionibus stipulatis inhærere debeant; ista interpretatio esset omnium dolorum crassissimus dolus, & ipse Cellsis. Hungariæ Primas, ut ut Primus,

mas, & adorabilis vere Romanus Sacerdos, si interrogatus fuerit, hanc interpretationem damnabit. Denique 5-to Ly receptis principiis, ante ne? vel tempore pacificationis receptis? per Catholicamne religionem? vel Evengelicam? vel per utramque? num item hæc principia jure religionis, vel jure Nationis recepta? num status, num cultus? num dogmatis sint? pacificatoria ne, vel Theologica? num hierarchica, num christiana? damnantia ne, an salvificantia? — Arcanus plane arcanorum principiorum iste textus quemadmodum per Sophistas ad omnia trahi potest, ita legem, cujus claritas prima qualitas est, ingredi citra manifestum futurarum convulsionum metum, nequit.

### *O b s e r v a t i o. VI.*

Ly receptis principiis, Legi, quæ statuum Hungariæ pacem & unionem pro objecto habet, pro unius partis Statuum favore insertum, co ducit: quod virtute ejusdem

legis eadem favorisata R. Catholica Pars  
 statuum, serius vel citius prætere pro  
 se poterit jus privilegiale recipiendi nova,  
 vel rejiciendi vetera principia, quæ sibi am-  
 plius faveant, vel adversa sint. Turbo tunc  
 factitiorum principiorum obtereret Patram, &  
 sus deque populum, volveret; sed in moder-  
 no casu, dum nomine Religionis, quæ nul-  
 libi Terrarum, nisi in quibus superstitio est  
 cardo Politicus; Religio, quæ in nulla specie  
 Mundi Regiminum, excepta Theocrazia, ens  
 constitutum repræsentat: Religio, quæ  
 ubivis, & præferenter in Monarchia Hun-  
 garica, pro qualitate tantum hominis, non  
 pro ente Constitutivo considerari debet; Dum  
 hæc religio facultatem, principia pro se recipi-  
 endi, vel sua per alias religiones recipi facien-  
 di se habere videri vult; Vult absurdum bre-  
 vibus Gyris & carcere dignum; quia ta-  
 liter Theocratiam Mystocratæ subordina-  
 tam, spectrum politicum, induceret. Et  
 tamen illud: *ly receptis principiis est scrip-*  
 tum in lege Hungara, pro favore & ar-  
 gu-

gumento Romani sacerdotii, quod in suo personali Religionem, tanquam ens Constitutum repræsentari prætendit.

*O b s e r v a t i o. VII.*

Sed exmissa etiam e lege vocula *receptis*: remanet adhuc inconprehensibilis desideranti libertatem & proprietatem sui entis Hungaro, in præallata lege sensus. Vis sola, nunquam ratio hoc evicerit, ut civitate donatæ religionariæ Opiniones, & recepti per nationem Cultus, Ministrorum Sacerdotum imperio, non autem ductu Conscientiæ, per individuos ejusdem nationis homines seligi & teneri possint: Non tenebuntur autem; si voluntatibus sive errore, sive ratione persuasis, satis est quod opinione captis transitum, principiis Romanæ religionis impediri posse, lege autorizatum fuerit. Præterquam enim quod impeditorium id genus sacerdotale imperium, Nomine Tituloque Romano latum & acceptatum, aliis receptis  
per

per nationem religionibus intolerandam condemnationis notam inurat; irritat simul inæqualitatis conditionum humanarum injurias, quæ nunquam quiescunt, quæve Regibus nunquam satis librari, nunquam satis mitigari possunt.

### *Observatio. VIII.*

Dogmaticis ne? an politicis R. religionis principiis? mutatio opinionum religionarum adversetur? ex lege lata non intelligitur. Unum idemque symbolum fidei credunt, orant, & profitentur receptæ Christianæ religiones in Hungaria. Ergo eadem dogmatica principia: Politica vero principia, salva Hungaria, alia habere non possunt; quam libertatem evangelii, proprietatem suæ mentis, æquitatem & mutuam tolerantiam. Si præter hæc alia principia prætendit romana religio, illa non possunt esse principia religionis, verum principia sacerdotalis ambitionis, quæ statum in statu

inducunt, & ex religione Christiana, faciunt servitutem romanam :

Non præoccupatæ & æquæ mentis indago facile ex historia, id genus R. religionis principiorum, assequetur, cur truncum hodie sua Urbe Rom. Imperium deserit? Cur hodie Romanorum Imperator, fiet magni nominis umbra? Cur in Hungaria propudiosæ humanitati leges Annonum 1523. 54. & 1525. 4-us latæ fuerint? Ex similibus principiis Paulus 4-us apud Sarpium in Hist. Conc. Trid. *Inquisitionem præcipuum nervum, & arcanum Pontificatus nuncupabat.* Ex similibus Romanæ religionis principiis sententiæ in secedentes a Romana religione, per sacerdotes ferebantur: *Te sententialiter condemnamus Carceri ad perpetuum, ut ibi semper pane doloris, & aqua Angustix Crucieris.* Vide Pegna Direct. inquit: Ex id genus principiis Ecclesia romana constituit: *Ut suspicio hæresis, tormentis, abjuratione, vel purgatione diluatur.* Vide Theor. & Prax.

& Prax. hæreseos Tit: 53-tio. Ex illis ordi-  
 navit: *hæreticos coercendos esse plus quam*  
*adulteros, severius quam ficcarios pu-*  
*niendos.* Ibidem Titulo I-mo. Ex his  
 principiis prodivit Mandatum Papæ Sixti  
 4-ti Anno 1486. contra Brixienfes, qui ad  
 nudam Monachi Antonii de Brixia denun-  
 ciationem, denunciatos cremare volebant.  
 Sequens: *Cum crimen hæresis fit mere Ec-*  
*clesiasticum tenore præsentium vobis comit-*  
*timus, & mandamus, ut eisdem Officia-*  
*libus sæcularibus civitatis Brixienfis, sub*  
*excommunicationis poena præcipiatis, at-*  
*que mandetis, ut infra sex dies post-*  
*quam legitime fuerint requisiti, sine ali-*  
*qua dictorum processuum per Vos agita-*  
*torum visione sententias per vos latas*  
*contra hujusmodi hæreticos prompte exe-*  
*quantur, appellatione remota: vid. Peg-*  
*na, in Direct. inquisitor: Hæc & his si-*  
 milia millies facta sunt; & talium in abdi-  
 to latentium Principiorum, authoritas ho-  
 die apud Ungaros per Potestatem Legisla-

tivam Regi, & Statibus communem in Lege citetur, & revivifcat? — Di meliora piis!  
 — *Aurum non tam pretiofus plumbæ, quam Regia potestate altior Dignitas sacerdotalis* dixit infallibilis superbie Gregor. VII-mus. Vide Harduinum in Concil. Et talium Principiorum, prudens, & vere amatus Rex Leopoldus, Authores audiat? O Dii! errorem hostibus iftum!

Sed ne nostris folis Sacerdotibus, legis, de qua egimus, & per quam ad has Considerationes provocamur, occasione infensi videamur: addimus; quod Michaelem Servetum, Sacerdos Joannes Calvinus fuis æque sacerdotalibus ex Principiis procuravit vivum Genevæ comburi; Zelofus reformator! insignis Patriæ civis, qui ad Constitutionis Genevenfis formationem multum influxit! Magnus omni ex parte, fi zelofus Sacerdos non fuiffet, & sacerdotalium Principiorum instinctu, crimen iftud non commiffet:

Addo pro honore meorum temporum privatum anecdotum. Ante 8. dies pranfus  
 fum

sum apud Augustanæ Confessionis virum,  
 sed quem virtus, non Confessio facit virum.  
 Conviva mihi aderat Helveticæ Confessionis  
 Ablegatus ad Diætam Comitatenfis: vir æta-  
 tis mediæ, exploratis Principiis Philoso-  
 phus, frigidus passionibus, & nullum agno-  
 scens Dominium, præter rationis: factitios  
 honores pede avaro, corde nunquam salu-  
 tans, rerum autem indagine tanta, & tam  
 accomoda, temperataque eloquentia, ut  
 nullus magis Consilium Nationale, quod  
 actu celebramus, attentius sibi reddere sciat:  
 dum de virtute Tolerantiæ, isto vere Chri-  
 stianissimi caractere, ad mensam differimus,  
 exclamat: Persuadeor mihi, inquit, persecu-  
 tiones, quas mea Confessio passa est, esse  
 pœnam Talionis, ob crimen in Serveto Ge-  
 nevæ commissum: Indolui Confessioni, con-  
 fidentem admiratus sum: — Væ tibi Le-  
 ctor, qui fortuitum hoc dictum, sentire  
 nescis!

*Observatio. IX.*

Tria esse hominum genera, qui nihil fere legibus, quas ipsi aliis imponunt, utuntur: nimirum Juris-Consultos, Medicos, atque Theologos, Nicius Erithræus dixit — ætas & Observatio, hoc dictum canonizarunt. — Mihi cum Theologis, aut quod idem est, cum Sacerdotibus tantum labor est: Vacuum & ridiculum suarum Theſum, & suorum gratuitorum Principiorum illi ipsi interne rident hodie: — illi tibi serio hodie adhuc dicent Moysen majorem naturalistam fuisse, quam Lynæus vel Buffon, majorem Belli Ducem, quam Fridericus II. virtutes Seraphici Francisci, jure vel injuria, vel Furberia Stigmatizati acceptiores Deo, & Humanitati fuisse, quam fuerint vel Trajani, vel Marci Aurelii, vel Tuæ vere amate Leopoldæ, & æreis campanis per Episcopos baptizatis fulminum, & tempestatum ictus melius derivari, quam Electro, & aqua lustrali Dæmones ad ignem

infernalem efficacius præcipitari, quam ratione: Tunc certe Dæmones frigent, & nostri Doctores rident. — Paginas & diem perderem ridicula quidem, sed menti humanæ noxia instituta ex principiis, & Theſibus Sacerdotalibus formata, & recepta enarrando. Deſiſto a veris, ne Satyram ſcribere videar: nunquam delirium apud populos ignorantiffimos, & ſuperſtitioſiſſimos evolvit Orbis obtutui majoris & ſuperbioris dementiæ Tabulam, quam illa foret, quæ pingi poſſet, ex receptis per Romano Cath. Religionem principiis;

Id ſolum bonæ fidei, temporumque priorum doctis addo: Si Bacon Verulamius, Erasmus, & hos ſecuti mille alii perditum humanæ mentis lumen non reduxiffent, ſi Defectio a Romana ad Auguſtanam, & Helveticam Confefſiones ejus Dominium non attriviſſet, nobis laicis Ungaris hodie noſtri Theologi Doctores Sacerdotes fungos ductu Principiorum Romanorum darent ad edendum, dum ipſi opulentiâ, & luxu diffue-

rent. Atque hinc invoco Te Regum optime, vere amate Leopelde, Majestas Tua advertere dignetur: dignum ne? justum ne? Conveniens ne Unioni, & felicitati divisæ Religionibus Hungariæ sit? Principia Sacerdotalia pro motivo Legi inferere, virtute quorum liber Hungarus, libertatem mentis nisi indulgente Rege obtineat? numve obtenturus sit? dubitet: & sive nativitate, sive educatione fortuitam, sive præpotentia excubantis Sacerdotii irritabilem Successivæ Coronæ religionalem intolerantiam, non nunc, quia noscimus Benedictam Regiam Sobolem, sed in sæcula futura anxius semper metuere debeat: O Rex! ille idem liber Hungarus, hæres est propagativus, consequenter Civis, eo ipso ergo multo magis amore posterorum anxius & sollicitus, quam sint cœlibes voluntarii ipsius Oppressores, — miserere!

*Observatio, X.*

Iste idem Hungarus, sive Evangelicus, sive Catholicus, sed illuminatus, dum præviam ex veneratione principiorum Romanæ Catholicæ Religionis motivatam Legem, quæ inalienabilem ab ipso animæ suæ facultatem, Libertatem mentis, ad Jus Placiti Regii transfert, audierit & legerit; Attonitus, quia jure hominis exutus, cogitabit & concludet: Nationem totam, aut saltem majorem Nationis partem præviæ animarum suarum facultati, & quoad se & quoad Posterios suos, in quorum mentem tamen nec ipse Deus (nisi crassissimam prædestinationem admittamus) coactivum sibi vindicat Imperium, renunciassè, & hanc renunciationem sanctione Regia ut in legem transeat sibi firmari desiderassè: Neque enim aliter fieri possunt apud Hungaros leges. Sed nihil horum:

Ut Rex, Patria & Orbis videat, hic addemus numerum, & Catholicorum illo-

rum, qui in Conventiculo die 30. Novembris 1790. apud A. Episcopum Coloczensem celebrato masam cleri, Legem præviam impetrantis auxerunt, & subscriptis Nominibus petitionem ejus roborarunt; & simul numerum illorum Catholicorum, qui illi Conventiculo, factisque ipsius misceri noluerunt: Addimus item Numerum Deputatorum ex respectivis Comitatibus, & Civitatibus, qui Evangelicis Religionibus sunt addicti, ut bilanx universorum votorum formari possit, & videri num voto potioritatis Regni? vel præpotentia Romani Sacerdotii? Lex de qua agimus impetrata sit. Sacerdotes omnium in Regno receptarum Confessionum ex hoc Schemmate exmismus, quia hi in Statera conscientiæ se ex æquo reciproce appendunt. Cathedris enim, Christi vitæ exemplis, non Dominiis, non Prælaturis mensurari debent,

Numerus voto & Sessione in Comitibus gaudentium, qui Repraesentationem Com-  
 ventus apud Exc. D. A. Episcopum Colocentem celebrati subscripserunt,  
 & illorum qui non subscripserunt; & quidem:

Catholicorum Subscribentium.

Magnates. 16.	Tabulae Regiae. 4.	Comitatus Nuncii. 24.	Civitatium. 23.	Absentium. 15.
Catholicorum non Subscribentium.				
Magnates. 181.	Tabulae Regiae. 10.	Comitatus Nuncii. 52.	Civitatium. 32.	Absentium. 16.
Evangelicorum aequae non Subscribentium.				
Magnates. 14.	Tabulae Regiae. 3.	Comitatus Nuncii. 19.	Civitatium. 13.	Absentium. 11.

Hoc numero votorum Populi viso, qui sine dubio Regum optimum latere debuit — Et quanta sunt, quæ Reges Clero Romano circumdatos latere debent! Supernaturalibus fere viribus ipsis opus est, ut omniâ resciant. Hoc inquam numero votorum combinato spes bonis omnibus renasci debet: non Romanis, sed Leopoldinis, & salutis hungaræ Principiis Legislatariam potestatem in Lege de qua agimus, animatum iri, & futurum: ne amplius sub nomine Legum & Regum, Romana nostrorum errorum Principia & idola libertatem mentis hungaræ opprimant.

Observo: ab observationibus quas ocepi, me insensibiliter deviasse ad viam Instantiæ, & ex Philosopho, me factum supplicem Procuratorem. Disciverim, devia-verim, Lector me damnabit, Potestas Legislatoria me absolvere debet, cui veritas & sentimenta fidelium Civium, digna semper Throno, non forma qua proferuntur, sed suo merito audiri, & placere possunt.

Placuit Majestati, Clero Viennæ ur-  
 gente & orante 13-tium §-um Benignæ suæ  
 Resolutionis Regiæ, motu proprio & absen-  
 tibus religionariis partibus elargitæ, in il-  
 lum transformare, quem huic Libello præ-  
 posuimus, & de quo egimus: Nunc primæ-  
 vum quoque illum, quo comparari uterque  
 possint, subjicimus.

---

§<sup>us</sup> primævæ B. Reso-  
 lutionis Regiæ.

*Cum genuina Christiana toleran-  
 tia omnem coactionem excludat; con-  
 tra illos, qui ab una Religione de  
 lege in Provincia recepta, ad  
 aliam æque receptam transiverint,  
 ex capite criminis Apostasiæ Actio  
 Fiscalis non intentetur, aut pœna  
 ali-*

*aliqua Carcerum, verberum, laborumque publicorum eis infligatur, ut tamen iis, qui ex defectu sufficientis instructionis a Catholica Religione defecerint, reductio mansueta modalitate procuretur, tallium in locis & domibus religiosis per decursum sex Hebdomadum omni cum moderamine, & Religioni Christianæ conformi mansuetudine adhibenda Instructio de veritate fidei tentetur; injungatur autem Ministris utriusque confessionis, ne ullum Catholicorum ad amplectendam Religionis Evangelicæ professionem quocunque præsumant allicere medio, aut aliquem ad illam recipiant, qui non Testi-*

*monialibus de rite peracta præscripta Instruktionem a competente Parocho Catholico exarandis munitus fuerit, Parochorum, autem Catholicorum obligatio erit, finito Instruktionis tempore requirenti parum indilate desideratum Testimonium expediendi.*

Pronum erit ex his comparatis, unicuique sincero Lectori perspicere, quod in hac primæva Resolutione Regia, Cor Regis sibi soli relictum, adorabile in principiis Christianæ Tolerantiæ, quæ pro motivo & fundamento resolutionis suæ induxit, liberum clarumque in expressione, quam amor salusque Populi sui dictavit, purum ab omni implexu & captione Sententiæ, justum, clemens, & proprietati, libertatique Nationis amicum addictumque fuerit. Cor inquam hic Regis sibi soli relictum, ad Proto typon Divinitatis se solum depinxit.

Crimen esset dicere, cor istud Regium,  
 quod semper in manibus Dei est, mutatum  
 fuisse: Stultum esset dicere, idem repente  
 adeo mutari potuisse, ut a sanis & invinci-  
 bilibus Principiis, quæ in primæva resolutio-  
 ne sua patefacere, & pro fundamento as-  
 sumere dignabatur, ad Romana Princi-  
 pia, Principia hamata, sublesta, & intel-  
 lectui humano impervia discedere, taliter-  
 que sibi ipsi contradicere potuisset. Non  
 — Non contradixit. — Prudens, & vere  
 Ungaris amatus Terræ Princeps, Toscanis  
 Principiis Europæ, Ungaricis nobis cogni-  
 tus, se ipsum sibi negare non potuit, nec  
 negavit: Mandando enim ad se referri Re-  
 ligionum mutationis casus, salvare suo ar-  
 bitrio voluit oppressiones, quæ per Styli &  
 textus Romani posteriori Resolutione con-  
 tenti peccata, suos subditos divexare possent,  
 clareque populis per elargiendas in casibus  
 occurribilibus Sententias ostendere: Se postre-  
 mæ hujus resolutionis suæ articulum non  
 suo motu fecisse, sed eundem Sacerdotii

Romani se circumstantis importunis precibus, quæ etiam tunc, dum humillimæ sunt, Populi opinione capti Sceptro armatæ semper minaces sunt, deferre debuissent.

Felices nos! Felices nostros Posterost si Leopoldus, & sua Regia soboles, immortalis essent! Verum quia lex dum conditur, condi debet tanquam æternum duratura; Quia item Sæcula & Personæ intereunt, causæ & eventa earum recurrunt; Quia item indecisio in Lege ad Jus Placiti Regii summum Nationis bonum, libertatem conscientiæ transferente, posset futuris ætatibus devenire mors ordinis Politici, & boni generalis; Quia denique quo ponderosior est numero, viribus & religionibus populi Status, tanto potentius corporis tanti gravitationes excentricæ ipsius Majestatem imminuerent, æquilibrium turbarent, vires labefactarent; quanto item idem populus indecisus & dependentius haberet Jus libertatis, mentem & conscientiam suam sequendi, profitendi, tanto magis primis facult-

cultatibus animæ spoliatus, Spoliatores suæ mentis pro Semidiis considerando, Rei, salutisque Publicæ omni idea privaretur; atque depressus taliter sub barbaram opinionis tyrannidem, sine sentimentis, sine justis & æqui, sine honoris, sine humanitatis principiiis, nihil sentiret, nihil prensaret, nihil sequeretur, quam quod suæ mentis prædones ipsi persuasissent in altero mundo expectandum, aut in hoc indulgissent communicative, vel erga sacram Decimam epocillandum: Verum pecus, si futura non quidem ratione, qua spoliatus est, sed spe, innato & miserando miseris affectu, expectare, & inde malorum realium longinquum levamen capere indoctrinatus non fuisset, & hanc doctrinam non amaret, non desideraret. Ea propter ea, quæ hucusque de Principiis articuli Religionis adduxi, & quæ in subsequis adducturus sum, Potestati Legislatoriæ præsentari & subforni vellem, ut quæ securiora Statui, quæ magis analogæ Throni honori, quæve libertati Hun-

garæ & Rationi hominis magis convenien-  
tia, sine quibus alioquin nulla Lex bona est,  
distingui aptarique possint: non do hæc pro  
optimis, sed do pro opinione & voto pri-  
vato, quod mihi tanquam Patris Legislato-  
riæ membro negari nequit: Libens meliora  
ab aliis condiscam, libens sequar: Mirabor-  
que & illos, & me miserabor.

### *O b s e r v a t i o XI.*

Redire debeo ad vetera, quibus genus  
hominum aut oppressum, aut erroribus arte  
Romana incunatum adeo fuit, ut ad nullam  
Rationis lucem evigilare queundo, hodie  
adhuc nonnullos laicos in ipso Diætalium  
Nunciorum Corpore reperire sit, qui Hye-  
rarchiam Romanam ipsiusque placita, pro  
Religione & pro primis Principiis mentis ve-  
nerantur; nec ulla alia sponte vel illicio ad-  
mittentes, in defectu sani Criterii, dente &  
streperis sonis pertinaciter tueantur quid  
quid Romanum est.

Adferam præterea recentiora, Domum Austriacam præsertim, consequenter etiam Hungaros ipsi copulatos tangentia, ex quibus videri possit, quantum discrimen ineant & Rex & Natio? dum legem de libertate conscientiæ, id est de Jure hominis formantes, pro motivo ejusdem Legis, per quam Natio Hungara, secura, felix, & libera reddi deberet, assumunt & constituunt Principia Romana.

Bulla Cœnæ pro universali Ecclesiæ lege accepta, inter Romano Catholicæ Religionis momentosiora Principia collocari debet: Nam quid interest populis ad ignem æternum ob negatam Trinitatem, vel in nomine SS. Trinitatis ob transgressum mandatum Urbani Servi Servorum DEI damnari?

Si transitum a Catholica ad Evangelicas in Hungaria Religiones, recepta Romano Catholicæ Religionis Principia vetant, & Bulla Cœnæ disertis verbis illos, qui se Romani Pontificis obedientiæ subtrahunt ana-  
the-

thematizat; quid hoc aliud erit? Si Legem hungaram in Principiis Romanis hungari fundaverimus, quam aliis quam Bulla contineat verbis, eandem Dominationem Papalem provocare, ut dum per occasionem licuerit, sub Regibus scilicet aut imbecillibus aut superstitionis, Dominium Romanum iterum Ungaris inducatur, & ex Bulla Cœnæ Corpus Juris Hungarici publici formetur: Memineris Lector jam insinuatam fuisse in Declaratione Statuum Catholicorum, quod Ungariam nostram Jure clientelari Pontifici obnoxiiari, præensum traditumque fuerit.

Horror & indignatio excutit mihi e manu calamum, Bullæ hujus textum & infernaliam Principia ad constitutionem Hungaræ revocare, & comparare volenti: Commonefactam tamen velim Hungaræ Legislatoriam potestatem, eo animum advertere dignetur, quod absurda, Christianitatem infamantia, omnes Principes & potestates lædentia præmemoratæ Bullæ Cœnæ Principia, non tantum in ipsa Bulla contineantur,

sed universali Legum Ecclesiæ Romanæ Mas-  
 sæ tecto & occulto Spiritu inhæreant, & pro-  
 fundamentalibus Legibus, juxta quas cere-  
 moniale, & tota Romanæ Hierarchyæ con-  
 stitutio hodie adhuc gubernatur, habeantur;  
 Commoneam item, quod quamvis eadem  
 Bulla per plures Europæ Principes & pote-  
 states recentioribus temporibus rejecta & pro-  
 hibita sit, prohibitionem tamen hanc non  
 esse sufficientem, ad omnem disordinem,  
 quem in omnibus Catholicis Statibus indu-  
 xit, & cujus longo usu potestates Legisla-  
 toriæ Statusque occalluere, evellendum ex-  
 stirpandum; sed prorsus necessarium esse o-  
 mnes illas occultas Semitas, & Spirituales  
 Romanæ Politicæ rimas expiscari, per quas  
 se semper eadem Bulla, sub alia licet veste,  
 apud Status Europæos sive conservare sive  
 insinuare nititur. Postea oro Hungaricam  
 Legislatoriæ potestatem eo mentem atten-  
 dere dignetur, num Sacerdotalis illa ex-  
 pressio, in nostra Lege, de qua agimus com-  
 prehensa, Transiitum ob Romanæ religio-

nis principia, ad alias in Hungaria receptas Religiones Hungaris vetitum esse declarans, vaferrimæ hujus Bullæ impurus occultusque partus non fit? num hoc non fit? In pejus ruere, & retro sublapsa referri? — Passiones Sacerdotales, Bulla, & occultus hujus legis Spiritus, est familia inseparabilis.

*Observatio. XII.*

Quantum ista Curia Romanæ principia, semper religione, semper pietate, mansuetudine, pastorali zelo larvata toti Christianitati, sed præferenter Hungaris nocuerint, ostendam authentici facti narratione, quam in forma probante proponam.

Historiographus Hungariæ Pray, tandem post tot pro Patriæ lumine & honore confectos labores, sub justo Leopoldo, nuper in cadaverosa jam ætate, creatus Canonicus Magno-Varadiensis in Libro III. Annalium Hungariæ. prodidit nobis Epistolam Urbani Papæ Anno 1369. Avenione ad Re-

gem Hungariæ Ludovicum I. exaratam;  
quam hic subnectimus.

„Urbanus Charissimo in Christo Filio Lu-  
dovico Regi Hungariæ illustri Salutem, &  
Apostolicam Benedictionem!

Licet Filii Charissime plurimum habea-  
mus acceptum, quod negotium defensionis  
Græcorum, ad finem reductionis eorum ad  
sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem, modis  
debitis prosequaris, decet tamen & expedit  
hoc ita prudenter & mature fieri, ut non  
tendat ad noxam, quod agitur ad salutem.  
Sane cum, sicut in antiquis Chronicis &  
Scripturis aliis reperitur, iidem Græci cum  
dicta Ecclesia in tractatibus per eam cum eis-  
dem habitis dolose ac fraudulenter incesse-  
rint, illudendo fallaciter Ecclesiæ memora-  
tæ, & ex huiusmodi præteritis, de simili-  
bus futuris sit verisimiliter præsummendum,  
præsertim quia iidem Græci, non videntur  
ex devotionis zelo & pura voluntate, sed coacti  
pro habendo tuo succursu venire velle ad hu-  
jusmodi unitatem, cum eis est, cum multa ma-  
turi-

turitate & cautelæ studio procedendum. Et quia de re ardua agitur, & ipsius exequutio est adeo difficilis & prolixa, quod infra modicum tempus compleri non poterit ut optatur, si Tua Celsitudo vovisset, seu jurasset prædictis Græcis, seu eorum Imperatori infra certum terminum venturum de proximo præstare Succursum, nos præmissorum consideratione inducti, votum & juramentum hujusmodi usque ad Annum a dato præsentium computandum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium suspendimus ad cautelam. Placet tamen Nobis, quod dicto Imperatori ac ejus Filiis, reductis ad hujusmodi unitatem iis, interim de aliqua armigera Gente succurras, si tibi expediens videatur, tuaque Magnificencia bonis operibus semper intenta, interim vacare poterit aliis operibus pietatis. Datum Avenione X. Kalendas Julii Anno IV.

Videre mihi videor in hac Epistola, licet tribus fere ante Bullam Sæculis emanata, spiritum & mentem Bullæ Cœnæ intus,

& totum, si blasphemias & maledictiones excipias, humanarum rerum interitum & peritem; dolosissimumque, Romani per subjugatas Regum opiniones Dominii augendi, studium & ambitionem.

Sacramento obstrictæ fidei Ludovicum ideo solvisse, quod Joannes Paleologus Imperator Orientali Christianitati, & non Romanæ esset addictus, & hac de causa Mahumedanæ Religioni Græciam conquiriti potius favisse; superat omne malignitatis ingenium, quod unquam pestes Erebi evomere poterant.

Ludovicus principiis respectus & venerationis erga Romam intoxicatus, maluit perjurium patrare, atque adeo Deum negare, quam Papæ non obsequi; & quod facile poterat, viribus tantarum Provinciæ stipatus, & primæ certe tunc in Europa Monarchiæ Dominus, Amurathis victricia arma cohibere, & in Asiam repellere; maluit ab indultu Romæ expectare & occasionem perdere. — Turcica namque arma subjugato

sibi

sibi orientis Imperio, auctis viribus vicinam postea Ungariam fere totam sibi subjecere. Et quanto Ungarorum sanguine ista Regis Superstitio consistit? & huc usque redimitur? Ita Deum ex corde, Patriæ Regnique sui vicinis Græcis ardentibus, curas ex animo, & totius Christianitatis plangentis & orantis lacrimas principiorum Romanorum respectus apud Ludovicum ejecit, eliminavit, extinxit. — Ambiguo profus & ancipiti delectu: Urbanus ne an Amurathes vafrior, & magis sanguinarius usurpator fuerit? — Eloquar; iste Heros fuit, ille Impostor.

Habent ergo captivitatis suæ æternum monumentum Hungari, in respectu Romanæ Catholicæ Religionis Principiorum fundatum, habent proh dolor! causam quod ex tantarum Provinciarum possessorio decussi, dismembratis & ammissis Monarchiæ suæ partibus, depopulatis terris, effuso sanguine, fortunis attritis, miseri effecti, Scientiarum & Artium progressibus mulctati, in infidis

semper Regi & Patriæ Sacerdotum Romanorum Monachorum Scholis, ad ignorantiam & superstitionem efformati; — habent inquam sensibilem nimium causam, cur principiorum Romanorum, transitum ad alias Christianas Religiones vetantium respectum & considerationem pro motivo novæ legis hodie suscipere deprecentur.

*O b s e r v a t i o. XIII.*

Iste principiorum Romanorum spiritus, religionem semper pro fuco passionum Aulicarum, & desiderio incrementi potentiæ mentitus, vagus ad omnes Europæorum Principum mutationes, incumbens semper & aptus temporibus, Catus Simulator genio Dominantium conveniens, artifex vere Romanus, tempora ipsa fictis honoribus, factitia ambitione, & distinctivorum ordinum omnium, præter humanum creatione, rationem, desideria, commodaque & tonum vitæ, apud omnes quarum opinionis dominium

nium

nium habuit, Gentes & Principes formavit, ut defluant refluantque univërfa orbis bona & mala alveo quem sua Sanctitas effodisset: — Tanto formidabilior potestatibus principibusque fuit: quod Religio, quæ obedientiam Subditorum ipsis sola afferere docebatur & credebatur, & hodie adhuc qua talis prædicatur, tarde nimis observata sit, nihil minus præstare, quam securitatem potestatis, qua Principes in Subditos polle- re & frui debent: Capto enim credulitate populo, Superstitio Imperantes ex dominis Subditos sibi semper fecit, & facit adeo; ut si meliora & rationabiliora sequi voluissent, ipsorum Coronæ semper in filo pependissent, & hodie adhuc apud plures Gentes pendeant; — Filo: quod Romanæ religionis Hyerarchæ nunquam neglexerunt rescindere, dum ipsorum ambitioni conveniebat.

Lux me deficeret, si innumeris Europæarum potestatum convulsionibus, hæc afferta per istud Scriptum, quod pro ratione moderni diætalis cursus fugitivum tantum esse

esse potest, illustrare vellem. Gnaris rerum, & præjudicio non irretitis lectoribus, modica indago, & philosophicus historiae usus, facili reminiscencia plus quam dixerim, ob oculos ponet: Ponet inquam ob oculos vera videre volentibus, non obstante spiritualium fictionum fraudumque piarum lusu, quo Mystæ Romani opere, calamo, voce, per provincias monachismo ex artibus Romanis vivente scatentes, ad eruendos laicis oculos usi sunt, ut his artibus sponte sua excoecatos, cum minori distractione molam Domini Sacerdotalis volvere, & rotare faciant.

Mihi, quod ad objectum hujus scripti pertinet, sufficiet breviter enarrare, & probare: quod Principia Romana Domui Austriacæ Imperatoriam dignitatem adeptæ, nec post exortam reformationem favorabilia fuerint: Nam licet restricto nocendi campo, imminutis nimium per Reformationem progressus capientem dominationis suæ viribus, hebetata unguium acie, vulnera ad  
nutum

nutum Cæsaribus inferre amplius tanta non poterant, factione tamen & Politica Romana, quaqua demum parte Aufriacæ Domus Imperatorum Successus morari vel destruere valuerant, nihil intentatum reliquere!

Agebat jam Leo X. Teste Odorico Raynaldo oratorii Presbitero, scriptore Romanarum partium, Carolum V-tum a Corona Imperii excludere, metu, ne apostolicam sedem ut Imperator oprimeret: Carolus omnium Romanorum fratagematum victor, magno animo injurias oblitus, sædus cum Leone pactas Gallos Italia propulsandos sponndit: sed brevi post Successoris Clementis VII-mi cum Gallis & Venetis inito contra se sædere ingratisime habitus est. Præterea Franciscum Gallix Regem Jura-mento sibi obstrictum papaliter fide solutum vidit, immo & folio Imperiali, si id ob tempora, ut Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis dicit, tutum fuisset, Papali factione dejiciendus destinabatur. Paullus deinde III-us ob notam Formulam fidei, Ca-  
 rolo

rolo infestus fuit: Paulus autem IV-us quem admodum Spondanus ad annum 1555. refert, alieno prorsus ab ipso fuit animo, cruentumque ipsi icto cum Gallis fœdere conscivit bellum.

Ferdinandum I-um, quem ipsi Galli, Spondano Teste, pietatis eximium cultorem vocant, Julius III-us excommunicatione perculit: Paulo autem IV-to male habitus fuit, quod sede Apostolica inconsulta, tractationem de pace religionis instituisset — fere ita, sicut in hodierna Diætali Sessione (die 9-na Januarii 1791 Pofonii scribo) Cardinalis Archi-Episcopus Strigoniensis & Primas Josephus e Comitibus Battyany Comitem Judicem Curia Carolum Zichy, cujus genio & operæ æqui & iniqui pacem, successusque, impeditissimorum præsentium Comitiorum debent, habuit, dum tanta passo impropere publice dixit, se medios terminos, quibus nunciorum partes toties dissentientes in Diæta pacificavit, Eidem prorsus in gratiis non referre:

Sola distinctio, quæ hic inter Paulum & Josephum intercedit, authoritatis: — non artis non passionis, est.

Redeamus: Ebullit mihi cor, ut ista eloquar: Electo Ferdinando in Imperatorem Pontifex Coronam disputavit, prætendens a Carolo V-to resignatam, sine suo consensu nullius capiti imponi posse.

Maximilianus II-us qualiter Pio V-to amatus fuerit? ostendit Gabutius Libro 3-tio de vita Pii quinti. Hic enim vere Christianus & Philosophus, libertate conscientiæ in hæreditariis suis ditionibus admisa, per Cardinalem Commodonem jussu Pii sequentem Comminationem audire debuit: *Pontificem omnibus execrationibus ecclesiasticisque pœnis in eum animadversurum, ipsumque privaturum Imperatoria Majestate, atque Catholicis Principibus in eum convocatis novum Imperatorem creaturum, nisi ejusmodi Decretum, si factum esset, illico rescidisset.*

Ferdinandus II., qui tantos Profelytas Romæ dedit, victricibus Sueciæ armis pressus, frustra supplicas ab amico Pontifice, duobus suis legatis, sub prætextu, quod bellum illud non Religionis esset, nec jura apostolicæ sedis concerneret, elusis, petens, forti suæ commissus, impetravit nihil, quam plausibile, & sterile Jubilæum.

Josephum I. nimis mature salutis mentium humanarum ereptum, sequenti declaratione scripta Papa honoravit: *Si perstabis in tanta intemperantia consilii, abjicemus Patris clementiam, & in te tanquam in rebellem filium excommunicatione, & armis etiam, si opus fuerit, animadvertemus.* Vide Fabri Cancell. Status, & Lettres Historiques. 1708.

Carolum VI. post defectum in Antonio Duce Parmensi Domus Farnesiæ, Ducatum Parmæ & Placentiæ pro legitimo hærede Don Carlos occupare volentem, Papa medio sui Commissarii Oddi Brevi apostolico hos ducatus tanquam feudum Ecclesiæ præ-tendens, inhibebat.

Ita

Ita sacra & prophana a Roma, seu quod idem est a Romanis Principiis, jam religionis, jam potestatici Juris titulo agitantur: Quæ, Principibus Austriacis aut occulta, aut adversa, semper ad genium sæculi accommodata, tacite vel aperte domum Austriacam impetebant — Et nos! — Nos Hungari, infida id genus & indefinita Principia pro motivo legis hodie, proh dolor! assummimus.

#### *O b s e r v a t i o. XIV.*

Parmæ Dux, Gener Matris nostræ, & affinis Cæsarum Anno 1764. die 25. Oct. extradato decreto, legata pro favore manuum mortuarum fieri inhibuit, & cœlibatum monasticum amplecti volentes utriusque sexus homines, successioni viventium prævie renunciare jussit: Anno 1765. die 13. Jan. virtute alterius mandati onera fundo inhærere debere declaravit, etiamsi a Laico ad Præbiterale dominium transivissent. Cle-

mens 13-us invocato cum Lachrymis DEI nomine, prævia Decreta terræ Principis, Brevi suo Apostolico Anno 1768. die 30. Jan. cassat: omnes ab obedientia ipsis debita inhihet, illos autem, qui illa publicarent, promoverent, & exequerentur, censuris Ecclesiæ afficit, & nisi in Articulo mortis præmissa abjuratione absolvendos indulget.

Divum autem Josephum Secundum, statim postea longe importantiori & horum, & aliorum abusuum Ecclesiasticorum reformatione illustriorem Principem Pius VI. Viennæ visitavit, & missa ad Comitatus ditione sua publica, Catholicum, exemplaremque R. Ecclesiæ filium, protectoremque nuncupavit. —

Opposita adeo ad mentem & oculum, ista Romanæ Ecclesiæ Principia, non in Evangelio, non in ratione, sed Romæ quæseris; vel apud subalternos hujus aulæ, quibus servitus curaque Romana opulentissimos in Hungaria dat redditus, inveneris: parum sollicitos, num Hungari algeant, minusque

Sollicitos, num mens salusque populi periclitentur? quam solliciti sint, ut mens, & opinio Hungara perduret esse ipsorum monopolium. — Hæc nostra ætate facta, nostra ætas si sibi evitari hodie posse persuasa est, adminus sponte invocatis pro ratione novæ legis romanis Principiis suos posteros periculo eorum, motu proprio comittere non debet: quia Superstitio, in majori parte Regni nostri hodie quoque caput e Cœli regionibus ostendit, „horribili super aspectu mortalibus instans.“

### O b s e r v a t i o. XV.

Spectat summopere, imo indispensable est ad unionem & societatem hominum, Sacerdotes omnis religionis altarium Ministros ita circumscribi in suis functionibus & consistentia, ut Zelo ipsorum, & sacerdotalibus eorundem passionibus omnis semita, qua ambitiones Civiles vadunt, aut petuntur, vel Intricatæ doli politici artes exercentur, præclusa sit.

Istud unanime sanæ Statiffices Principium, quod experientia & successus apud omnis speciei gubernia coronat, & bona ratio dictat, si statui desit; fieri debet: Ut excussis obedientiæ, quæ Magiftratibus debetur, cancellis, sacerdotium sublimibus religionis tenebris semper involutum, quæ Dei in terris repræsentatores, potestate gladioque Cæli investiti, omnis auctoritatis Civilis rivales, & infidiosi æmuli, postea usurpatores, se ipsos sibi in propriis causis faciant Judices, & universum populum superstitioni, quæ ubivis Sacerdotii pedissequa & fuit, & est, subjiciant.

Legislatores inspirati, Mediatores omnipotentes inter DEUM & hominem, cingunt nos & excoecant, ut volunt, fasciâ opinionum suarum: Ferunt, dantque nobis, nativitatis, vitæ, victus, propogationis, mortisque leges, quibus suum in nos extendant imperium: Prompti, post disseminatas superstitionis absurditates, quibus intoxicamur, seminandi etiam illius furores, Te-

ste Belgio, contra omnes, qui mente libera & ratione, prærogativis, Dominationi, & Divitiis ipsorum se opponere attentarent. — Odiosum illis, mihi periculosum esset, si venerabilem Clerum Hungarum pro exemplo demonstrativo hujus propositionis adferrem: — sed vera est.

Rerum politicarum natura eventibus optime demonstratur, & ab effectibus ad cognitionem Causarum optime ascenditur. Milliones hominum, & in hoc, & in Americano orbe gladio Religionis excisi sunt: Plaga hæc superstitionis, crudelissima humanitatis pestis, & terribilissima Tyrannorum fax, plagas ægyptiacas longe excedit: — Scimus, romano illo exclusivæ salvificationis principio subornatam Religionem, utriusque orbis incendiariam effectam fuisse — Legimus apud exteros, & apud nos in modernis etiam comitiis vidimus; religionarii dogmatis, quod gratuito, & citra omne examen ab institutoribus accepimus, amore, magis inflammari homines, quam libertatis

Civilis desiderio. — Si id, quod priori ætate factum est apud nos, aliquando fieret iterum, ut Princeps terræ aperte pro favore unius religionis, & in oppressionem aliarum ageret, illico Enthusiasmus hominum in furorem, & odia Theologica in rebellionem verterentur, quemadmodum versa sunt:

Ad tales convulsiones, postquam infolescentia invaluerunt, in Statu sopiendas, non superest aliud remedium Principi, quam violentia: irritatis enim longiori effervescencia, & contactu contagiosi Zeli efferatis auctisque partibus, ipsum Tolerantiæ remedium, serotinum & inutile evadit, nec aliunde medicina, quam ab excessu mali & furorum Civilium fatigatione expectari potest: — Tunc primum audiuntur, & acceptantur religionaria armistitia, Pacificationes dicta: — Morbi præteriti quies, ansa venturi:

Unde ergo tot malorum Semen? —  
 Unde tantarum calamitatum primæ causæ?  
 — Dicam:

1. Defectus vigilantiaē Magistratum:  
 Quod illa summi momenti ipsius DEI Crea-  
 toris manu inscripta cordibus humanis Re-  
 ligio, & instructio, illa immutabilis, & qua  
 patent Terræ, omnibus gentibus cognita ve-  
 ritas, scilicet: *quod homo justus esse debeat,*  
 aut inverse, aut sophistice, aut negligenter  
 explicetur, tractetur, doceatur, defigretur.  
*Et hinc denaturata perversio mentis.*

2. Doctrina illa, qua defectum mora-  
 lium reciprocarum obligationum, devotis-  
 mo, religiosaque sacrorum practicatione sup-  
 pleri posse homines credere aut docentur,  
 aut sinuntur; *Et hinc habitualis, & in na-  
 turam transiens, tum iniquitas, tum su-  
 perstitio.*

3. Avaritia, & ardor dominandi Mini-  
 strorum religionis, in beneficia, & maleficia  
 statistica nimis influentium: — *& hinc cor-  
 ruptio laicorum.*

4. Metus ne ex Statu primo repræsentativo Sacerdotium ad Statum Evangelii, crescente rationis lumine, reponatur: — *Et hinc steriles Et infrunnitæ scholæ, typi libertas suppressa, & sic nutrita impastataque.*

5. Ignorantia laica, quæ quo major, eo superbior, eo infociabilior & intolerantior est. *Et hinc persequutio.*

6. Romani prædominii, in uno nationis corpore ex pluribus Confessionibus composito, professio injusta: — *Et hinc dolor, in læsione partis ad idem corpus spectantis, continuus, tam Græcæ, quam Evangelicæ.*

7. Iniqua improportio Conditionis Civium: Duorum & ultra millionum Annuorum reddituum, octodecim Sacerdotes Domini, & præterea Jure & præcedentia Status competens ipsis Aulicarum Artium facultas. *Et hinc Profelytismus Statisticus, qui impiæ dominationis, non pietatis est: Sensimus nimis ejus influxum & respectum etiam sub hac Diæta.*

8. Denique: Principia rationis & Evangelii, Principiis Romanis, de quibus hoc Libello egimus, postposita.

De his octo Causis, ut primum domui meæ redditus fuero, modo per tempus & debilitatem oculorum licuerit, scribam ex professo: Agam luculenta cum logica; & iusto, non fugitivo quemadmodum istud est, comprehendam Argumentum opere, conaborque ante Comitia adhuc Anni 1792. a quibus alioquin Stimulo Ecclesiasticæ & laicæ pietatis, hic supra punctis 3. & 7. enunciata, me, exclusum iri spero, demonstrare: Quod præviæ octo Causæ tum præteritarum Regni Religionariarum Convulsionum, tum futurarum primum semen, fermentum, fomesque fuerint & futuræ sint.

Agam præterea de reliquo hujus Articuli Religionalis textu, cujus motivum a Principiis Romanæ Religionis petitur, hoc Scripto propere & desultorie tantum examinaui: Agam de temeritate transitus, quid sit in re opinionum mutatarum Temeritas?

— Agam de pœnis, bonæ Causæ propudio, quæ allicientes ad suam Religionem Evangelicos manere debere decernuntur: deducamque ratione & exemplis sequelas, quæ per creatas id genus opinionum pœnas, consequenter per multiplicata creataque in statu citra necessitatem peccata, Nationem degradant, dishonorant, convellunt. — Ostendamque nunquam fuisse, nec esse posse; ut illa Lex Saluti publicæ respondeat, quæ passionibus hominis, præsertim Sacerdotis, multum relinquit.

### *O b s e r v a t i o. XVI.*

Denique Clerus Romanus in Hungaria Hungariæ status est: In Hyerarchicorum Romanorum & Monarchicorum Hungaricorum principiorum elementis fundatus: — Ab illis organizationem & Juramentum, ab istis Legislatoriâ potestatem & reale dominium habet. — Duplicis ergo Patriæ Cives duabus sedent sellis. — Manibus mortuis im-

mortalem Civitatis constitutionem, sine propaginè adoptivi æternique hæredes, vivi status hæreditatem tractant. — Huic tam vastæ abnormisque excreſcentiæ facultati, romanis Principiis ſtipatæ, quam & qualem hodie aliam in Statu contrabilancem Legislatoria prudentia opponet? quam libertatem ad receptas religiones tranſitus? — Cujus metus ipſos & mitiores, & humiliores, & utiliores, & beneficentiores, & exemplariores, & modeſtiores; Verbo: magis apoſtolicos reddet.

F I N I S.

---